



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Meditatio 2. Finis aliarum rerum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

VOL. Horrorem concipiamus à viâ perditionis, quæ deviat ab hoc fine. Recurramus ad Deum, dicentes : *fiat manus tua, ut salvet me.* Ps. 118.

COLLOQUIUM. Imploremus Deigratiam, ut veritas finis nostri numquam animo excidat : & ex illâ vitam instituamus.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO II.

Finis aliarum rerum.

CONG. De eo, qui à Rege media accipiet, ad munus suum rectè obeundum.

PRÆL. I. Totam materiam, *Reliqua verò super terram.* &c. usque ad, vel *obsunt*, uno quasi obtutu obiter inspicere.

PRÆL. II. Petere gratiam pro recto usu rerum creatarum.

PUNCTUM I. *Sanitas, & Ægrotudo.* **MEM.** Inter reliqua supra terram sita, proponamus nobis sanitatem, & ægrotudinem.

INTEL. Concludamus ergò *utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus, ad prosecutionem finis, vel conferunt, vel obsunt.* **REFLEXIO.** Examinemus, an timore ægrotudinis, non omiserimus tendere ad finem nostrum.

VOL. Obfirmemus animum nostrum, ne unquam

quam ob metum ægritudinis, doloris, laboris, & incommodorum deflectamus à viâ, quæ ducit ad finem. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes tuæ latificaverunt animam meam.* Ps. 93.

PUNCTUM II. Divitia, & paupertas. MEM.
Nunc inter reliqua proponamus nobis divitias, & paupertatem.

INTEL. Concludamus item, quatenus iis abstinendum, vel utendum sit. **REFLEXIO.** Consideremus, quam multi, & nos inter illos, abducantur per hæc à suo fine.

VOL. Deploremus nostram aliorumque cæcitatem. *Beatus . . . qui post aurum non abiit.* Eccli. 31.

PUNCTUM III. Honor, & contemptus. MEM.
Hæc duo itidem ante mentis oculos obversentur.

INTEL. Patet iterum, quid de his concludendum sit. **REFL.** Consideremus quomodo honoris studium nobis infestum fuerit, & abducatur à laude, & servitio Dei.

VOL. Dicamus, pereat, mi Deus, nomen meum, ut *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6.

PUNCTUM IV. Vita longa, & brevis. MEM. Hæc sunt res, quas S. P. Noster inter reliqua enumerat quarto loco.

INTEL. Concludamus, vitâ temporali abstinendum,

nendum, quando sic oportet, ut salvi fiamus, & habeamus vitam æternam; & quando conducit ad laudem, & servitium Dei.

REFL. Tamen plurimi metu mortis à fine suo discedunt: videamus an simus ex illis.

VOL. Dicamus, intuendo finem, ad quem creati sumus: *magnificabitur Christus in Corpore meo, sive per vitam, sive per mortem.* Philip.

I.

COLLOQUIUM. Petamus donum *fortitudinis, & timoris Domini*: ne umquam vel spe vitæ, vel metu mortis abstrahamur, à laude, reverentia, & servitio Dei, & à viâ æternæ salutis nostræ.

RECOLLECTIO.

MEDITATIO III.

Indifferentia.

CONGRUA, Quomodo volens finem, debeat circa media indifferens esse, sicut artifex circa instrumenta.

PRÆL. I. Totam illam partem, *Quapropter debemus, &c.* usque ad *preferamus*, inclusive, obiter quasi percurrere.

PRÆL. II. Petere gratiam perveniendi ad illam indifferentiam.

PUNCTUM I. *Sanitas & ægritudo.* MEM. Meminerimus ex præcedenti meditatione, sanitate & ægritudine eatenus utendum vel abstinendum esse, quatenus ad finem conferunt, vel obsunt.

INTEL.